Cœpit illos mittere.

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 6, 7-13

In illo témpore:

7 Convocávit Iesus Duódecim
et cœpit eos míttere binos,
et dabat illis potestátem in spíritus immúndos;
8 et præcépit eis, ne quid tóllerent in via
nisi virgam tantum:
non panem, non peram neque in zona æs,
9 sed ut calcearéntur sandáliis
et ne indueréntur duábus túnicis.
10 Et dicébat eis:
«Quocúmque introiéritis in domum,
illic manéte, donec exeátis inde.
11 Et quicúmque locus non recéperit vos
nec audíerint vos,
exeúntes inde
excútite púlverem de pédibus vestris
in testimónium illis».
12 Et exeúntes prædicavérunt, ut pæniténtiam ágerent;
13 et dæmónia multa eiciébant
et ungébant óleo multos ægrótos et sanábant.

Verbum Dómini.